

uxorem meam dilectam ipsam viduando et honeste vivendo ut secundum quod hic ordinavero darique iussero sic ipsi aut maior pars eorum et infra. Item volo et ordino quod si aliquis meorum commissariorum deficeret seu ad mortem meam defecisset aut non esset quatuor saltem quod antiquior de chà Barbadico qui voluerit sit meus commissarius et quotiens aliquis commissariorum meorum deficeret totiens antiquior de suprascripta prole quod vellet sit et esse debeat meus Commissarius. Itaque ipsi non possint esse pauciores quatuor non intelligendo aliquem de cha Barbadico de Candida nec Thomam Barbadico qu. ser Perin: quos numquam volo posse esse meos commissarios etc. et in alio loco. Item dimitto ser Marino Barbadico suprascripto commissario meo illam partem possessionis in qua ad praesens habito quae quidem pars sint primo de cha Moro cum illo calizello quod est inter praedictam partem, et partem meae possessionis quae olim fuit de cha Taiapietra, cum ista conditione quod dicta pars possessionis quae olim fuit de cha Taiapietra possit habere tam in dicto calizello quam in curia, fenestras serratas subter trabaturam pro luce, et quod dicta mea possessio olim de cha Moro debeat habere introitum et exitum super fundamentum quod est ad praesens de lignamine super canale, quo quidem fundamentum fuit olim de cha Taiapietra ac etiam addita conditione quod dicta pars meae possessionis olim de cha Taiapietra teneatur.

In omnibus dictum fundamentum tenere in concio et etiam quod ipse ser Marinus et eius heredes teneantur ipsam partem possessionis quam sibi dimitto semper in culmine et in omnibus necessariis manutenere et conservare, et insuper quod dicta pars possessionis vadat ad heredem in heredem masculinum de cha Barbadico, videlicet in unum de maioribus heredibus, non intelligendo in hoc aliquem clericum esse heredem, sed solum vadat in unum ex masculis laycum qui descendet ex masculino sexu legitimo ipsius ser Marini, et si casu acciderit quod omnes masculis descendentes ex ipso ser Marino deficerent, tunc volo quod dicta pars possessionis devenire debeat in antiquiorem meorum commissariorum de cha Barbadico cum condicionibus semper superius ordinatis.

In casu vero quod dicta pars possessionis suprascriptae per aliquem ipsam acquirentem non teneretur in concio et in culmine, volo quod per meos commissarios omnes afflictus accipi debeat ex ipsa, vel tantum ab ipso se in ipsa habitaret quan-

tum per afflictum ipsius solveretur si esset afflictata, quos quidem afflictus volo devenire in meam Commissariam et statim dicta pars possessionis postmodum devenire debeat in antiquiorem meorum commissariorum de cha Barbadico, salva semper intentione mea suprascripta de tenendo ipsa quocumque in concio.

Item volo et ordino quod quicumque acquireret praedictam partem possessionis suprascriptae vigore ipsius legati quod ipsa acquisita debeat facere sibi fieri datum secundum ordinem terrae infra duos annos et iste talis teneaturolvere afflictus unius anni Commissariae meae, videlicet tantum quantum pro ea solveretur si dicti affictaretur seu locaretur, qui afflictus dicti anni dividantur in duas partes, unam quorum volo esse meorum commissariorum, reliqua vero pars detur et dispensetur pauperibus nobilibus de cha Barbadico prout melius videbitur commissariis meis, et hoc semper intelligatur totiens quotiens dicta pars deveniret in aliquem. Verum si dictus ser Marinus aut heredes eius seu aliquis in quem deveniret dicta pars possessionis tam pro debitis quos ipse haberet, quam pro contumacia si in aliqua esset, quam etiam pro quacumque alia causa praeter quae non videretur commissariis meis maioris partis meorum commissariorum sit etiam maioris intronitendi dictam partem possessionis, ut mea bona propria et afflictus ipsius recipiendi quos ipse conservare aut dare debeant uxoris ipsius aut heredibus aut attinentibus eius, sicut meis commissariis melius videbitur. Semper de praedictis afflictibus ipsam manutendo in concio quomodo libet. In casu vero quod praedictus qui eam acquireret nollet observare omnia praedicta, volo quod statim ipse sit privatus dicto legato, quod quidem volo devenire in antiquiorem meorum commissariorum de chà Barbadico cum condicionibus suprascriptis etc. et infra.

Item dimitto meam possessionem sitam in confinio Sancti Gervasii, in qua ad praesens habitat ser Johannes de Vegla et Michael Calegarius, ser Joanino Barbadico qu. ser Gabrielis suprascripto commissario meo et eius heredibus cum modis et condicionibus omnibus cum quibus dimitto suprascriptam partem ser Marino Barbadico praedicto in aliquo minime discrepante etc. et infra.

Item dimitto meam possessionem positam in confinio Sancti Pantaleonis quam mihi dimisit domina Stephanela quondam avia mea cuius quidem possessionis partim ipsa acquisivit pro sua repromissa, partim ipsa habuit pro dimissoria et